



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De Sanctis Elvano Episcopo Et Medvino In Anglia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX VARIIS
AUCTORIBUS.
Miracula ad
eius sepul-
crum.

viru tulerunt corpus ejus, et posuerunt non longe a civitate Spoletana, ubi multa emanant aquae. Dies Natalis Sancti Concordii Martyris celebratur Kal. Januar. In loco, ubi sepultus jacet beatus Martyr, caeci illuminantur, infirmi sanantur, daemones expel-

luntur, orationibus B. Concordii Martyris, praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

DE SANCTIS

ELVANO EPISCOPO ET MEDVINO

IN ANGLIA.

CIRCA AN. CHR.
CXCVIII.
I JAN.

SS. Medvini
et Elvani in
Martyrologiis
memoria.

Ubi sepulti
sint.
Baron.
not. 7.

Lucius Rex
Britanniae
favet Christi-
anism.
Cur ipsemet
Christianus
non fieret.

Pertinax et
Trebellius Se-
natores Chri-
stiani.

Lucius Elva-
num et Med-
vinum Ro-
mam mittit.

Britanniam
Reges habuit
Romanis tri-
butarios.
Numquam
tota fuit in
Romanorum
potestate.

Elvanus et
Medvinus Lu-

Apostolicorum horum virorum natalem hoc die celebrat Ecclesia Anglicana : de quibus Philippus Ferrarius in generali catalogo Sanctorum : In Anglia Sanctorum Episcoporum Mydwyni et Elvani. Eadem habet Martyrologium Anglicanum, additque nobili apud Britannos genere ortos, plurimis pro Christianae religionis propagatione susceptis laboribus, vitae sanctitate et venerabili senio conspicuus excessisse e vita circiter annum Christi 198, et Glasconiae sive Avalonae sepultos. De his Baronius tomo 2, annal. ad an. 183, ex antiquis monumentis ita scribit :

2 Lucius Britannorum Rex numquam se Christianae religioni infensum exhibuit, hostemve: sed quod Christianorum miracula simul et vitae integritatem admiraretur, in eosdem propensior videbatur: amplexusque fuisset jam ante Christianam religionem, nisi avita, velut nexibus, obligatus esset superstitione; nisi etiam conspexisset Christianos ab Ethnicis ipsis ut infames vilesque haberi; a Romanis ipsis, penes quos summa rerum esse videbatur, et gladio et injuriis assidue lacerari.

3 Comperit tamen postea novitque ex Legatis Caesaris, Senatores etiam aliquos Christianos factos esse, et inter alios Pertinacem quemdam, atque Trebellium; Imperatoremque ipsum M. Aurelium, victoria ipsorum precibus obtenta, benigne habuisse Christianos. Quibus his aliisque perceptis Lucius legationem misit ad Eleutherum Romanum Pontificem per Elvanum et Medvinum Britannos: rogans per eos Eleutherum, ut per se suosque ministros ad Christianam Religionem suscipiendam aditum patefaceret: quod et obtinuit. Nam idem Pontifex Fugatum et Donatianum (aliter Damianum) in Britanniam misit, qui Regem et alios Christiana religione imbutos, sacris initiarent mysteriis: quod et naviter impleverunt.

4 De S. Lucio plura ad 11 Decemb. Querunt hic quidam qui potuerit Britannia, jam in Provinciam redacta, proprium habere Regem. Ut Galilaea scilicet tempore Christi, aliaque complures provinciae tributarios Reges habebant. Sed nec universa tum Britannia in Romanorum venerat potestatem, ut illis temporibus proximus Tertullianus testatur lib. adversus Judaeos c. 7. Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita. Qua de re plura Baronius loco citato, et in Notis ad Martyrol. xxvi Maji, ac Nicolaus Harpsfeldius lib. 1 histor. Anglic. cap. 3.

5 De hac Lucii Regis legatione ita scribit Joannes Pitseus lib. de illustribus Angliae Scriptoribus: Quidam igniculi praedicationis S. Josephi adhuc post annos centum ab ejus obitu in Britanniam manserunt. Nam anno post Christum natum 179 perveniente ad regnum Britanniae Lucio Pio, floruerunt ibi Doctores illustres Elvanus Avalonius, et Medvinus Belgius,

Britanni. Qui perspecta singulari Lucii Regis pietate, modestia et mansuetudine, tentaverunt eum paulatim ad Christi fidem perducere. Ergo ab iis instructus in fide, et ad quem religionis fontem recurrendum esset edoctus, eosdem suos Doctores Romam ad Eleutherum Papam destinavit Oratores, ut auctoritate Apostolica, et ipse et omnis ejus populus ad sacra Christiana posset admitti. Eleutherus summo cum gaudio postalatis acquievit, dictosque Regis Legatos benigne tractatos, et liberaliter remuneratos, cum humanissimis ad Regem litteris remisit. Et Elvanum quidem, ut scribunt aliqui, consecravit Episcopum. Medvinum autem constituit Britonum Doctorem. Illis etiam adjunxit itineris Britannici comites ex Romano clero duos Phaganum et Dervianum, viros pietate et doctrina insignes. His itaque in Britanniam venientibus, et omnia ex Eleutheri Papae praescripto disponentibus Lucius Rex ab illis sacro baptismate initiatus est. Cujus exemplum non multo post tempore Principes et Proceres regni, et tandem omnis populus secuti, fidem Christi susceperunt. Acta sunt haec circa annum Christi 180 sub Imperatoribus M. Antonio Vero et Aurelio Commodo * fratre. Haec ille.

6 De singulis deinde inferius in ipso Scriptorum catalogo haec habet idem Pitseus: Elvanus Avalonius, natione Britannus, et primus atque praecipuus suae gentis in Christiana religione Doctor, vir pius, gravis, et eruditus: in schola S. Josephi Arimathensis educatus, ab ipsis Apostolorum discipulis fidei Christianae mysteria didicit junior: et vir factus Lucio Regi diligenter praedicaavit, eumque tandem cum tota gente baptizari fecit. In quibus omnibus Medvinum habuit socium et cooperatorem. Apud quosdam historicos invenio, hunc Elvanum, quo tempore Romam missus erat Orator de Rege Lucio baptizando, et Britannia convertenda, consecratum ab ipso Eleuthero Papa Britannorum Episcopum, unde et postea Londinensis Archiepiscopus secundus fuisse dicitur. De his legi potest Gildas historicus in libro de victoria Aurelii Ambrosii, et Matthaeus Westmonasteriensis ad annum 186.

Medvinus Belgius, id est, in ea circa Welliam Britanniae parte natus, quae olim Belgia dicebatur, Elvano tempore coevus, pietate et doctrina aequalis, educatione similis, omnium laborum particeps et comes semper individuus. Hunc ferunt cum missus esset Romam a Rege Lucio, propter eloquentiam singularem ab Eleuthero Papa gentis Britannicae Doctorem solemniter fuisse creatum. Dum S. Patricius antiquum oratorium Avalonae repararet, codicem veterem a tineis et blattis corosum inter rudera reperit, in quo Apostolorum actus, et ea quae Fugatus et Damianus (alii Phaganum et Dervianum vocant) in Britannia gesserant, a Medvino scripta fuerant.

cium Regem in
fide instruit.

Ab eo ad Se-
dem Apostoli-
cam mittun-
tur.

Elvanus fit
Episcopus.

Britanni cum
Lucio Rege
convertuntur.

* Imo m. filio,
nam L. Aure-
lius Com-
modus
anno 180
patri succes-
sit; L. Aelius
Aurelii Anto-
nini frater
pridem mor-
tuus erat.
Elvanus Ava-
lonius a puero
Christianus.

Medvinus
Belgius Bri-
tannorum
Doctor.

Scriptis gesta
SS. Fugatii
et Damiani.
Librum illum
reperit S. Pa-
tricius.

not. 8.

DE